

Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de Beatitudine, de Actibus humanis, eorumque
Moralitate; de Virtutibus ac Donis, de Vitiis ac Peccatis, & de Legibus,
nec-non Dissertationem Theologicam de Probabilitate

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

§. I. Quibusdam præmissis, referuntur sententiæ, & vera eligitur

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77355](#)

les , nec esset earum forma , sed ruina & de- A

Disp. 2. *art. 6.* Confirmatur : Quando aliquis actus virtutis , v. g. temperantie , imperatur à charitate , habet meritum non solum correspondens charitati imperanti , sed etiam temperantie ipsum elicenti , sive illud primum ei collatum intuitu talis virtutis sit accidentale , sive essentialle , de quo in tractatu de merito : Ergo etiam duplice bonitate gaudet , quarum una correspondet objecto quod immediatè respicit , scilicet honestati temperantie , altera provenit à fine ad quem à charitate refertur . Consequentia patet : siquidem meritum est propria passio bonitatis moralis . Ergo ubi reperitur duplex meritum , duplex etiam bonitas moralis reperiendi debet . Antecedens verò colligitur ex variis Scripturæ locis , in quibus promittitur primum operibus misericordie , & castitatis , quæ in hac vita exercentur , non solum quia charitatis sunt , sed etiam quia procedunt ab illis virritibus : dicitur enim Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei , possidere paratum vobis regnum : esurivi enim , & dediis mihi manducare &c.* Similiter virginati & martyrio , ut sunt actus temperantie & fortitudinis , correspondent aliqua præmia accidentalia , quæ aureola appellantur , ut in tractatu de beatitudine fuse ostendimus : Ergo &c.

52. Ad locum verò Aristotelis , cui maximè Vazquez confidit , respondetur quod cum Philosopherus dicit opus virtutis debere fieri propter ipsum , solum intendit actum virtuolum debere esse non solum ex scientia , & electione , sed etiam propter ipsam virtutem , seu propter honestatem virtutis , tanquam propter finem saltem proximum & intermedium : si enim aliquis bonum opus eliceret ex passione , vel timore , aut propter lucrum , vel inanem gloriam , non esset actus virtutis , sed vitij . Non negat tamen Philosopherus , quod opus illud possit ad ulteriorem finem ordinari , & ex imperio alterius virtutis praestantioris fieri . Ita D. Thomas 2. Ethic. leçt. 4. & lib. 6. leçt. 10. & in 1. dist. 1. qu. 2. art. 1. ad 3. ubi sic ait : *Propter se dicitur dupliciter : uno modo secundum quod opponitur ad propter aliud ; & hoc modo virtutes & honestum non propter se diliguntur , cum etiam ad aliud referantur . Alio modo dicitur propter se , secundum quod opponitur ad per accidens ; & sic dicitur propter se diligi , quod habet in natura sua aliquid movens ad diligendum : & hoc modo virtutes propter se diliguntur , quia habent in se aliquid unde querantur , etiam si nihil aliud ab eis contingere . Non tamen est inconveniens ut aliquid propter se ametur , & tamen ad alterum ordinetur .*

53. Ex quo solutum manet aliud fundamentum adverba sententiae , quod potest sic breviter proponi . Quando quis eligit opus pietatis propter penitentiam , tale opus non appetitur propter se , sed tanquam medium ad penitentiam : Atque medium quæ tale non habet rationem boni honesti , que sibi fini convenient , sed tantum boni utilis : Ergo talis electio non habet honestatem seu bonitatem moralem ab objecto , quod immediatè respicit , sed tantum à fine extrinseco ad quem ordinatur , subindeque non duplice , sed unicâ tantum honestate gaudet .

Huic , inquam , argumento jam patet solutio : dicendum est enim , quod opus pietatis , assum-

ptum propter penitentiam , v. g. eleemosyna facta ad satisfaciendum pro peccatis , simul appetitur & propter se proximè & immediate , ratione propriæ honestatis ac bonitatis moralis , & propter aliud , nempe propter penitentiam , ad quam ab operante ordinatur ; unde non habet rationem puri medijs , nec puri finis , sed finis simul ac medijs , seu finis intermedij ; & est bonum honestum ratione sui , & bonum utile ratione ordinatiois ad penitentiam ; & consequenter duplum habet speciem bonitatis moralis , unam ex objecto in quod immediatè tendit , alteram ex fine extrinseco ad quem ordinatur . Quenam autem sit prima & essentialis , dicemus articulo sequenti .

ARTICVLVS III.

A quo actus , ad finem extrinscum ordinatus , habeat speciem essentialē bonitatis aut malitiae , an ab objecto , vel à fine ?

S. I.

Quibusdam premisis , referuntur sententiae , & vera eligitur .

C **N**O T A N D V M primò , ad actum moralem *54.* ex objecto & fine , v. g. ad largitionem eleemosyna in satisfactionem pro peccatis , tres saltē actus concurrent , nimis intentionem satisfaciendi pro peccatis , volitionem dandi eleemosynam , & exteriorem eleemosynæ largitionem , quæ elicunt à potentia exteriori ex imperio voluntatis . Ex quibus intentio satisfaciendi est actus pure imperans & elicitus ; executio exterior habet rationem actus pure imperati ; volitio verò dandi eleemosynam est actus simul elicitus & imperatus ; elicitor enim à voluntate ex imperio virtutis penitentiae , intentionis satisfacere Deo pro peccatis . De primo actu , scilicet intentione satisfaciendi , nulla est difficultas : illa enim essentialiter specificatur ab honestate satisfactionis , qua est unis intrinsecus , & immediatum ipsius objectum . Similiter non est dubium de actu exteriori , & pure imperato ; cum enim actus exterior sit unus actus inesse moris cum interiori à quo imperatur , & quem immediatè terminat , idem prorsus judicium de illo ac de isto ferendum est . Tota ergo controversia , & difficultas , procedit de secundo actu , volitione scilicet dandi eleemosynam , ut à penitentia imperatur . Pro cuius maiori declaratione :

E Secundo notandum est , hunc actum posse considerari duplicitè ; vel reduplicative , ut imperatur à penitentia , & procedit ex virtute & intentione ipsius , quasi medium electum ad satisfaciendum ; vel specificative , in quantum est actus misericordie , respiciens honestatem sui objecti , quamvis aliunde imperatur & ordinatur ad aliun finem ulteriorem . Primo modo habet rationem electionis : sub alia verò consideratione , & per comparationem ad objectum sub ratione honesti & finis intermedij , est intentione . Unde Cajetanus supra qu. 8. art. 3. dicit taliter actum esse unum unitate subjecti , quia est unica operatio entitativè ; sed multiplicem numerositatem formarum , quoniam sub

una ratione est intentio, sub alia verò electio.
His præmissis,

56. Circa propositam difficultatem variè opinantur Authores: Vazquez enim hic disp. 5. censet actum moralem, quoties ad extrinsecum finem ordinatur, ab ipso fine, non verò ab objecto specificari. Curiel verò in alio extremo positus, affirmit quod actus humanus, etiam formaliter & reduplicativè ut imperatus, habet speciem essentialē bonitatis vel malitia moralis ab objecto, non verò à fine. Valentia autem hīc punclo 4. docet illum tam ab objecto, quam à fine specificari. Pro resolutione,

Dico primò: Actus imperatus, ut talis formaliter & reduplicativè, non specificatur ab objecto, sed à fine operantis.

57. Probatur breviter: Actus imperatus, in quantum hujusmodi, respicit essentialiter finem operantis: v. g. volitus dandi elemosynam, ut imperata à virtute pénitentiae, respicit essentialiter honestatē pénitentiae, & non sicut in suo objecto proximo, nempe honestate misericordiae: Ergo ut sic specificatur à fine operantis. Consequētia patet: Respectiva enim specificantur ab eo quod per se primò & essentialiter respiciunt: Sed actus humani, tam in esse moris, quam in esse physico considerati, sunt de genere respectivorum: Ergo &c. Antecedens verò sic ostenditur: Actus imperatus, in quantum hujusmodi, respicit essentialiter id quod respicit virtus à qua imperatur: Sed virtus à qua imperatur dandi elemosynam, respicit essentialiter finem, nempe bonum pénitentiae: Ergo & ipsa volitus elemosynæ, ut imperata à virtute pénitentiae. Unde D. Thomas qu. unicā de virtutibus art. 10. ad 10. si ait: *Actus alienj habitus, prout imperatur ab illo habitu, accipit speciem moralem formaliter loquendo de ipso actu: unde cum quis fornicatur ut furetur, actus iste, licet materialiter sit intemperantia, tamen formaliter est avaria.*

58. Confirmatur: Actus imperatus, ut talis formaliter, est subordinatus actui imperanti, & quodammodo unus & idem cum eo; unde in quantum hujusmodi, habet suam specificacionem essentialē ab eo à quo actus imperans ipsum desumit: Sed actus imperans specificatur à fine operantis, quem tanquam proprium & immediatum objectum respicit, ut patebit ex infra dicendis: Ergo & actus imperatus, formaliter & reduplicativè quā talis, à fine operantis speciem sumit.

- Dico secundò: Actus imperatus specificativè sumptus, non specificatur à fine operantis, sed ab objecto seu fine operis.

59. Probatur primò ex D. Thoma, qui variis in locis clarè & expressè hanc conclusionem docet. Nam hīc art. 2. ait: *Sicut prima bonitas rei naturalis attenditur ex sua forma. quæ dat speciem ei, ita & prima bonitas actus moralis attenditur ex objecto convenienti.* Et art. 4. recentens quantior bonitates, quæ in actu humano reperiuntur, dicit quod una est secundum genus, prout scilicet est actio (quæ est bonitas physica seu naturalis) alia verò secundum speciem, quæ accipitur secundum objectum convenientem, quæ moralis est: *tertia secundum circumstantias, quæ secundum accidentia quedam: quartia secundum finem, quæ secundum habitudinem ad bonitatis causam.* Item supra qu. 7. art. 3. ad 3. docet finem operantis non dare actui speciem substanti-

A tialem, sed esse circumstantiam ejus; ut si quis fortiter pugnet ob liberationem patriæ, species essentialis illius actus non sumitur ex liberatione patriæ, sed ex bono fortitudinis. Denique in 4. dist. 16. qu. 3. art. 1. quæstiunc. 2. ad 3. facta distinctione inter finem operis & operantis, de primo ait: *Iste finis dat speciem actui, unde vel non est circumstantia &c.* Alius verò est finis agentis, & hic finis dicitur circumstantia cur: ab hoc autem actus non recipit speciem propriam, sed quasi communem. secundum quod actus imperanti induunt speciem virtutis vel vitiū imperantibus, supra speciem quam habent ex actu elicente.

B Probatur secundò ratione quam insinuat S. Doctor locis citatis. Finis operantis est circumstantia actus imperati absolute considerata, quæ vocatur circumstantia cur: Sed actus humani non specificantur à circumstantiis, nec ab eis bonitatem aut malitiam essentialē, sed duntaxat accidentalē desumunt; cum circumstantiae sint veluti quædam accidentia moralia humanorum actuum, ut constat ex dictis disp. præcedenti art. 2. Ergo actus imperati non specificantur à fine operantis, seu fine operis.

C Confirmatur: Si actus imperati specificarentur à fine extrinseco, ad quem ordinantur, sequeretur quod finis operantis nunquam esset circumstantia: Sed hoc est falsum & contra communem sententiam: Ergo & illud. Sequela probatur: Finis operantis, si comparetur ad intentionem, & actum imperantem, non est circumstantia, sed objectum proprium & specificativum, ut supra annotavimus: Ergo si pariter det speciem essentialē electioni, & actui imperato, nunquam erit circumstantia, seu accidentis morale actus humani.

D Probatur tertio: Actus imperatus specificatur ab eo quod primò & immediate respicit: Sed primò & immediate respicit objectum, secundario verò & mediato finem operantis, ut patet in exemplo adducto; volitus enim dandi elemosynam, à virtute pénitentiae imperata, primò & per se respicit honestatē misericordiae; secundario verò & per accidentem tendit in bonum pénitentiae ad quod ab operante ordinatur, in talem finem non respicit, nisi ut terminata ad proprium objectum, & consequenter ut ab ipso specificata: Ergo actus imperatus non specificatur à fine operantis, sed ab objecto & fine operis.

E Confirmatur: Ordinatio quā iste actus ordinatur ad finem extrinsecum operantis, non mutat ejus naturam: Ergo si talis actus ex se, & secundum se sumptus, habeat suam speciem essentialē ex objecto, etiam ad finem extrinsecum ab operante ordinatur, tandem speciem servabit, & solum addet novum ordinem ad finem operantis, & ratione ejus novam speciem accidentalē. Sicut quia color non mutat essentialiam hominis, non addit illi novam speciem substantialē; sed accidentaliter tantum illum intra propriam speciem perficit.

F Probatur quartò: Actus imperati non elicuntur ab ea virtute, ad quam pertinet finis, sed ab ea ad quam pertinet objectum, v. g. actus jejunij imperatus à pénitentia, non elicuntur à pénitentia, sed ab abstinentia; martyrium imperatum à charitate, non elicuntur à charitate, sed à fortitudine, ut docet S. Thomas 2. 2. qu. 124. art. 2. ad 2. Ergo actus imperati non specificantur à fine, sed ab objecto. Consequētia patet;

Gg ii

60.

61.

62.

63.

64.

quia idem est specificativum actus, & habitus à quo procedit: Ergo si actus imperatus non procedat à virtute, ad quam pertinet finis, sed ab ea ad quam pertinet objectum, non specificatur à fine, sed ab objecto.

65. Denique si actus imperati specificarentur à fine operantis, omnes actiones iusti, qui se & omnia sua ex charitate retulit in Deum, essent ejusdem speciei essentialiter, nempe charitatis, & nunquam iustus exerceret actum alterius virtutis, subindeque omnes aliae virtutes à charitate, in eo essent otiosa & superflua: quod est absurdum, ut articulo praecedenti ostendimus. Sequela patet: nam in tali homine omnes actus quo exerceat, referuntur in finem charitatis: Ergo si actus imperati specificentur à fine operantis, non verò ab objecto & fine operis, omnes actus hujus hominis erunt ejusdem speciei essentialiter.

Sequeretur etiam ex eadem sententia, quod actus fidei informis, & fidei formatae, non essent ejusdem speciei essentialiter, sed diversae; quia unus specificaretur ab objecto, alter verò à fine charitatis, à qua informatur: unde fides non esset ejusdem speciei essentialis in homine peccatore, & in homine existente in gratia.

Item sequeretur nullum dari actum indifferenter secundum speciem: nam cùm non detur actus, quantumcumque ex objecto sit indifferens, qui ex fine non sit bonus, vel malus, ut ostendemus disputatione sequenti: si finis essentialiter specificet actus humanos, sequitur evidenter, nullum dari actum, qui non sit essentialiter bonus, vel malus, ex sua specie.

66. Ex quibus exclusa manet sententia Valentiae, afferentis actus imperatos ab objecto & fine operantis simul sumptis specificari: tum quia ex hac sententia eadem absurdum & inconvenientia sequuntur, ut consideranti patebit: tum etiam quia una res simplex non potest sumere speciem essentialē à duobus, quia solum ex voluntate operantis per accidens conjunguntur: Sed objectum actus imperati, & finis operantis, ex voluntate operantis per accidens conjunguntur: Ergo actus imperatus, ab objecto & fine operantis simul sumptis specificari non potest. Major est certa: quia cùm species rei simplicis sit ens per se, non potest essentialiter pendere ab eo quod est per accidens. Minor etiam patet: nam elemosyna v. g. pro voluntate operantis potest ad innumeros fines bonos vel malos ordinari, ut ad amorem Dei, ad satisfactionem peccatorum, ad gratiarum actionem, ad inanem gloriam, &c. Ergo objectum actus imperati, & finis operantis, per accidens conjunguntur.

67. Ex dictis inferes, quod facta comparatione inter duas illas species, quae in actu imperato reperiuntur, illa sola qua sumitur ex objecto est essentialis, alia verò quae est ex fine, accidentalis. Patet hoc corollarium ex dictis: Primo quia finis operantis est solum circumstantia actus: Sed circumstantia bonitatem & malitiam duntaxat accidentalem tribuunt: Ergo & finis operantis. Secundò, quia ut supra dicebamus, ordinatio in finem operantis accidentaliter advenit actu, & per accidens cum ejus objecto specificativo conjungitur. Tertio, quando alicui actu competit duplex species, aut duplex bonitas, illa est essentialis, quae est ex se invariabilis, & illa accidentalis, quae competit variabiliter: Sed species, vel bonitas aut malitia, quae competit

actui imperato ratione objecti, est invariabilis; quae verò convenit ex fine, est variabilis, & potest adesse vel abesse ab actu, ut patet in exemplo elemosyna sapè adducto; bonitas enim vel honestas misericordia, quae ipsi ex objecto convenit, ab ea inseparabilis est; ea verò quae sumitur ex fine, variabilis est; cùm ille qui vult dare elemosynam ad satisfaciendum pro peccatis, perseverando in eadem volitione, possit mutare finem, & intendere v. g. agere gratias Deo pro acceptis beneficiis: Ergo species quae sumitur ex objecto est essentialis, illa verò quae est ex fine operans, accidentalis.

Dices primò: Aristoteles s. Ethic. cap. 2. 68. constituit duos casus: primus est, quod aliquis commisit adulterium ut posset furari: secundus, quod alius ècontra furatus est ut frueretur faminā, & committeret adulterium. Et concludit, quod in primo casu operans est magis fur quam adulter; in secundo verò ècontra est magis adulter quam fur: Sed operans denominatur fur vel adulter à suo actu: Ergo unus actus debet esse magis fur, quam adulterium; alter verò ècontra magis adulterium quam fur; subindeque in illis species desumpta ex fine potior est ac principalior eā quae sumitur ex objecto.

Respondeo primò, in moralibus operantem magis denominari ab affectu, vel habitu, à quo actus imperatur, quam ab ipso actu imperato: unde cùm in primo casu ille qui commisit adulterium ut furetur, magis sit affectus ad furtum, quam ad adulterium, magis dicitur fur, quam adulter: ècontra verò cùm alter qui furatur ad adulterandum, magis sit affectus ad mœchiam, quam ad furtum, & ex illa moveatur ad furandum, potius dicitur mœchus vel adulter, quam fur; licet in primo actu species adulterij sit prima ac præcipua, & in secundo species furti. Solutio est D. Thomæ qu. 8. de malo, articulo 1. ad 15. ubi sic habet: Dicendum quod aliquis non denominatur fur vel mœchus ex actu vel passione, sed ex habitu, sicut de justo & injusto Philosophus dicit in s. Ethic. Intentio autem hominis provenit ex habitu: & idè quando aliquis fureatur ut mœchetur, commisit quidem actu peccatum furti, sed tamen intentio procedit ab habitu, & idè non denominatur fur, sed mœchus.

Respondeo secundò: quod volens adulterari 70. ad furandum, vel furari ad adulterandum, non solum denominatur fur, vel adulter à tali actu imperato, sed etiam ab actu imperante, quo vult furari vel mœchari; & quia talis intentio furandi vel mœchandi, imperans alium actum, principaliter est, quandoquidem ex illa moveatur operans ad actu imperatum, Aristoteles dixit operantem in primo casu esse magis furem quam adulterum, in secundo magis adulterum quam furem.

Dices secundò: D. Thomas supra qu. 13. art. 1. affirmit quod quando martyrum imperatur à charitate, materialiter est actus fortitudinis, & formaliter est actus charitatis. Ergo cùm essentia sit id quod est formalissimum in re, censet species, quae in actu imperato desumitur ex fine, seu virtute imperante, esse essentialē, eam verò quae est ex objecto, esse solum accidentalem.

Sed nego consequentiam: licet enim essentia sit formalissimum rei considerata quantum ad substantialia, tamen si conferatur cum acciden-

tibus supervenientibus, materialiter se habet ad illa in quantum sunt actus ejus; homo enim materialiter se habet ad album & nigrum, ad Philosophum & Arithmeticum, que sunt species accidentales ejus; & sic actus fortitudinis exercitus ex imperio charitatis, licet essentia-
liter sit fortitudinis, & charitatis accidentaliter, recte tamen dixit S. Thomas, quod materialiter est fortitudinis, & formaliter charitatis, ut significaret talem actum esse elicitive & substantialiter à fortitudine, imperativè autem ac directivè à charitate; & hoc exemplo declararet, quod electio elicitive & substantialiter pertinet ad voluntatem, licet directivè ab intellectu dependeat.

S. II.

Solvuntur objectiones.

73. **O**BJICES primò contra primam conclusionem: Imperium non mutat naturam actus imperati: Ergo si actus imperatus secundum se spectatus specificetur ab objecto, non verò à fine operantis, etiam ut imperatus, & in finem operantis ordinatus, idem specificatum habebit.

Respondeo concessò Antecedente, distinguendo Consequens: etiam ut imperatus idem specificativum habebit: si ly ut sumatur specificative, concedo: si sumatur reduplicative, nego. Nam, ut supra dicebamus, actus imperatus, in quantum hujusmodi, habet idem specificativum ac ipse actus imperans, cum sit quodammodo unum & idem cum eo: unde sicut intentione imperans electionem, specificatur à fine, quem ut proprium & immediatum objectum respicit, ita & electio, si consideretur formaliter & reduplicative ut imperata.

74. Objicies secundò contra secundam conclusiōnem: D. Thomas hic art. 6. ait: *Sicut actus exterior accipit speciem ab objecto circa quod est, ita actus interior voluntatis accipit speciem à fine, sicut à proprio objecto.*

Respondeo D. Thomam, nomine *actus exterioris*, comprehendere actum omnem imperatum, sive ille à voluntate, sive ab alia potentia sit elicitus; & consequenter nomine *actus interioris* solūm imperantem intelligere, ut explicat Cajetanus ibidem; & patet, quia in resp. ad 2. ejusdem articuli de codem actu interiori ait: *Comparatur ad exteriorem, sicut formale ad materiale*; Actus autem qui se habet ut formalis, est actus imperans, & actus qui se habet materialiter, est actus imperatus, ut idem S. Doctor supra qu. 17. art. 4. docet.

75. Objicies tertio: Illud primò specificat volitionem eleemosynæ, atque essentiale illi tribuit bonitatem, quod est ratio formalis volendi eleemosynæ: Sed ratio volendi eleemosynam respectu ejus qui illam vult propter finem charitatis v. g. est finis charitatis: Ergo ipse finis charitatis tribuit actui illi imperato bonitatem essentiale. Major est evidens: quia actus non specificatur ab objecto materiali, sed à formalis: Ergo quamvis eleemosyna sit objectum materiale talis volitionis, si tamen finis charitatis sit ratio formalis volendi eleemosynam, ab illo specificabitur volitio imperata eleemosynæ. Minor autem probatur: Quando idem numero actus fertur in medium & in finem, tunc finis est ratio volendi medium, ut docet S. Thomas

A supra qu. 8. art. 3. & qu. 12. art. 4. Sed ille idem actus imperatus fertur in eleemosynam tanquam in medium, & in objectum charitatis tanquam in finem: Ergo finis charitatis est ratio volendi eleemosynam, respectu ejus qui ipsam vult propter finem charitatis.

Respondeo distinguendo Majorem: quod est ratio formalis volendi eleemosynam proxima & immediata, concedo Majorem: remota tantum & mediata, nego Majorem. Similiter distinguo Minorem: ratio volendi eleemosynam, remota & mediata, est finis charitatis, concedo Minorem: ratio volendi proxima & immediana, nego Minorem: eleemosyna enim habet propriam bonitatem, non participatam à fine charitatis,

B secundum quam movet voluntatem, quamvis non fine ordine ad finem charitatis; & hæc est honestas misericordiae, qua est ratio formalis proxima & immediata illam volendi.

Instabis: Talis actus est electio: Sed tota ratio, 77. nedum remota, sed etiam proxima, movens voluntatem ad eligendum, est bonitas finis qui intenditur: Ergo finis charitatis est tota ratio volendi eleemosynam, respectu illius qui eam vult propter finem charitatis.

Respondeo negando Majorem: nam ut supra 78. 2. notabili obseruavimus, talis actus non est pura electio, sed etiam intentio; quia tendit in bonitatem eleemosynæ ut in finem intermedium; finis autem intermedium, cum simul habeat rationem finis & medij, & bonitate non solum utili, sed etiam honesta gaudeat, utrumque actum (intentionem scilicet & electionem) secundum diversas rationes terminare & specificare potest. De quo plura diximus contra Vazquen tract. 1. disp. 1. art. 5.

Objicies quartò: Plura peccata habent speciem essentiale à solo fine, & non ab objecto: nam D. Th. 2. 2. qu. 110. art. 2. ex diversis finibus distinguit diversas species mendacij: si quis enim proferat mendacium animo recteandi se vel alium, dicitur mendacium jocosum; si ex intentione juvandi proximum, mendacium officiosum; si ex intentione illi nocendi, mendacium perniciosum. Similiter si quis verbum injuriosum proferat animo auferendi honorem proximo, est contumelia; si ex intentione dissolvendi amicitias, fusuratio; si ex intentione confundendi audientem, irrisio: Ergo actus humani habent speciem essentiale à fine operantis, non verò ab objecto.

Respondeo distinguendo Antecedens: plura peccata habent speciem essentiale à fine, prout redundat in ipsum objectum, & intrinsecam causat in eo diversitatem, concedo. Potest enim fieri ut finis qui appetit esse extrinsecus & operantis, sit revera intrinsecus & operis, ut contingit in exemplis adductis: nam quia objectum & finis intrinsecus mendacij est dicere falsum cum intentione fallendi, ut docet D. Thomas 2. 2. qu. 110. dicere falsum cum intentione fallendi in materia jocosa, constituit mendacium jocosum; in materia perniciosa, mendacium perniciosum, & sic de aliis: ubi vides quomodo intentione fallendi in tali vel in tali materia ingrediatur rationem objecti, & finis intrinseci. Idem cum proportione dicendum de aliis peccatis lingua, ut de detractione, fusuratio, discordia, &c. Alia argumenta quæ contra hanc conclusionem fieri possent, disp. praecedenti, art. 1. soluta sunt.